

siones vacere. Ita Julius Clarus cit. § fin. quæst. 13, n. 5; Farinacius cit. quæst. 43, n. 129; Petrus Maria Passerinus in *Tribunali regularium*, quæst. 42, n. 163; Ludovic. de Ameno in *Practica criminali*, lit. 45, § 7, et 63, et alii.

109. *Et hujus ratio.* — Ratio est, quia in tali casu dictum rei de se confessi non debet ut dictum testis (est enim inhabilis ad iustificandum, utpote criminis), sed solum ut dictum denunciatoris, seu notificatoris: talis autem potest etiam esse persona infamis et vilis, sufficitque ejus dictum ad appellandum iudicem viam pro inquisitione generali; uti patet ex praxi tribunalium in apparitoribus, et aliis personis ad denunciandum crimina constitutis, quales plerumque sunt pauperes et viles, quin et quandoque infames. Ad inquirendum tamen in specie contra nominatum, dictum rei de se confessi non sufficit absque aliis adminiculis, cum non liceat semiplenam probationem, vel indicia æquipollentia, simulque per inquisitionem in specie contra nominatum institutam, magis gravaretur bona fama ipsius. Accedit quod ex una parte boni publici intersit, delicta ad notitiam magistratus quomodocumque pervenire, ne delicta maneant impunita: ex altera vero parte talis denuntiatio est modici præjudicii, cum nihil aliud operetur, nisi quod aperiat viam iudici ad inquirendum in genere, non vero in specie contra nominatum; multominus ad hunc citandum, vel capiendam, nisi prius exhibitis contra eum legitimis indicibus, et torturæ ex inquisitione generali depromptis. Ita argumentatur Jul. Clarus cit. § fin. quæst. 7, n. 2, quamvis postea quæst. 43, n. 5, videatur etiam admittere inquisitionem specialem contra ejusmodi nominatum, dum concedit, posse tunc iudicem procedere ad inquirendum, et asserendum alias informationes contra Petrum nominatum, etiam inquisitum contra ipsum nihil aliud esset in processu. » Verum in criminibus non exceptis, et seclusis aliis indicibus, communiter doctores tenent oppositum, ut inquit Ludovic. de Ameno loc. cit. n. 53, et Passerinus id. 63.

110. *Loquendo vero de criminibus exceptis, nominatio socii criminis indistincte valet ad inquisitionem specialem.* — Resp. III. Loquendo vero de criminibus exceptis, nominatio socii criminis indistincte valet ad inquisitionem specialem, atque ad transmitten-

dem libellum criminalem, ut is teneatur personaliter comparere, et defensiones suas facere; idemque dicendum de criminibus non exceptis, quando dicta nominatio socii criminis est adminicula aliis sufficientibus indicibus. Ita Farinacius loc. cit. n. 127, 129 et 130, Ludovic. de Ameno, et Passerinus ubi supra, Julius Clarus loc. cit. quæst. 21, n. 5, cum aliis. Ratio est, quia in criminibus exceptis potest reus de se confessus (ipso jure sic concedente, et ordinante) interrogari quoad socios criminis; ergo etiam ejus nominatio facit indicium sufficiens ad specialiter inquirendum contra nominatum, et ad istum citandum: alioquin frustra permitterent jura, ut reus de se confessus in hujusmodi criminibus interrogaretur de sociis, contra regulam generalis n. 96 jam allatam. Accedit, quod loquendo de criminibus exceptis, reus de se confessus quandoque admittatur in testem contra sociam criminis: prout de crimine hæresis habetur statutum c. In fidei. 5, de *Hæretic.* in 6, et c. *Litteras.* 44, de *Presumpt.* in 6.

111. *Hoc ipsum procedit in criminibus non exceptis, quando ea est adminiculata aliis indicibus. Indicia hodie succedunt loco diffamationis.* — Atque id ipsum procedit in criminibus non exceptis quando per reum de se confessum nominatio consocii criminis est adminiculata aliis sufficientibus indicibus: hoc ipso, quod tunc adsint talia indicia, juxta prudens arbitrium iudicis sufficientia ad specialiter inquirendum, et transmittendum nominato libellum criminalem una cum ejus citatione. Nam indicia hodie succedunt loco diffamationis; ut notat Bartolus in l. *Congruit.* § *Et nota quomodo.* ff. de *Offic. præsid.*, ubi æquiparat processum inquisitionis specialis cum indicibus, et fama publica. Maranta part. VI *Speculi aurei*, tit. de *Inquisition.* n. 22; Farinacius lib. I, quæst. 9, n. 20, citans complures alios. Atqui ad inquisitionem specialem contra quempiam instituendam sufficere, quod præcesserit diffamatio ejus, textus est in c. *Qualiter et quando*, 24, de *Accusation.*; ergo.

112. *Quæ indicia censeantur sufficientia ad instituendam inquisitionem specialem contra aliquem, puta nominatum?* — Quænam autem indicia censeantur legitima ad instituendam inquisitionem specialem contra aliquem, puta contra hujusmodi nominatum, admodum variant doctores, prout videre est apud Jul. Clarum cit. § fin. quæst. 20, et Farina-

cium cit. l. I, quæst. 4, n. 47 et seqq. Illud est certum, quod fama sola, quod quis maleficium commiserit, sit sufficiens signum ad inquirendum specialiter diffamatum, cit. c. *Quærit et quando*, 24, de *Accusation.* Alioquin vero, cum indicia alia sint levia, alia gravia, alia gravissima, generatim sufficit dicere, talia ad specialiter inquirendum contra aliquem requiri indicia, per quæ fit iudici legitima præsumptio, sive suspicio, quod inquirendus deliquerit: qualia vero hæc sint in casibus particularibus, prudentis iudicis arbitrio est relinquendum; quanquam leviora indicia sufficiant ad specialiter inquirendum, quam ad torquendum. Farinacius cit. quæst. 4, n. 25; Julius Clarus cit. quæst. 20, n. 2 et seqq., et alii. Unde ulterius

113. *Nominatio socii criminis facta per reum de se confessum, non est sufficiens indicium ad torturam.* — Resp. IV. Nominatio socii criminis facta per reum de se confessum, nisi concurrant alia adminicula, non est sufficiens indicium ad torturam. Ita Jul. Clarus, lib. V *Criminal.* § fin., quæst. 21, n. 7 et 8, allegans Bœrium decis. 349, n. 4, attestantem de communi, pluresque alios; simulque asserens, quod hoc non tantum procedat in criminibus non exceptis, sed etiam exceptis: adeo, ut etiam in istis dicta nominatio (alia præsumptione non concurrente) non sit sufficiens signum ad torturam.

## § V.

DE CONFessione QUALIFICATA; ET AN HÆC EX PARTE SOLUM POSSIT ACCEPTARI.

114. *Confessio qualificata, quæ?* — Quæritur I. Quid sit confessio qualificata? Resp. Confessio qualificata dicitur illa, quæ emanat circa unum capitulum ut certa qualitate affectum, vel saltem circa plura ut inter se connexa. Ita in re communis; prout patebit exemplis illico afferendis.

115. *Confessio quandoque fit simpliciter, quandoque sub adjecta qualitate.* — Unde sciendum, quod confessio quandoque fiat simpliciter; puta, absolute et pure confitendo debitum, vel erimen, sine apposita alia qualitate: in quo sensu hactenus de confessione dictum est. Quandoque autem tali confessioni adicitur aliqua qualitas, et quidem sub eadem constructione, vel saltem in continenti apposita, juxta exempla illico afferenda: et tunc dicitur esse *Confessio qualificata.* Exem-

plum hujus affert Glossa magna in l. *Siquidem. c. de Exception.*, si actore asserente quod reus sibi promiserit decem, reus respondeat, se solum conditionaliter promisisse (qualis confessio fit sub unica constructione), vel promisisse, sed sub conditione, si hoc aut illud fiat, et non aliter: talis enim confessio censetur qualificata, ob appositam in continenti qualitatem, seu conditionem illam; nam quæ in continenti dicuntur, censentur inesse l. *Lecta est, ff. Si certum petiatur.* Secus, si conditio non in continenti apponatur, sed primum ex intervallo: qui tunc non censetur inesse confessioni, sicque non reddit istam qualificatam. Glossa loc. cit.

116. *Exempla confessionis qualificate referuntur.* — Aliud confessionis qualificate exemplum habetur in c. *Bona memoria*, 3, § 4, de *Postulat. prælat.*, ubi nuntii capituli Strigoniensis confitendo responderunt, quod super præficiendo sibi pontifice « de gratia multoties suffraganeorum fuerat requisitus consensus. » Hæc enim confessio nuntiorum, inquit Abbas ibid. n. 29, emanavit qualificate; atque ideo suffraganei non poterant recipere, et approbare confessionem illam sine qualitate de gratia. Hoc ipsum (subjungit Abbas ibidem) contingit, si confitear, recepisse me a te centum, quæ mihi debebas ex causa mutui: talis enim confessio continet unum actum qualificatum; quia non confiteor, me recepisse a te centum simpliciter, sed centum quæ mihi debebas vi mutui.

117. *Exempla confessionis qualificate referuntur.* — Secus foret dicendum, si petas a me centum, et ego respondeam, « quod bene mihi mutuasti centum, sed tu ex alia causa tenearis mihi in centum. » Hæc enim non censetur confessio qualificata, sed est pura confessio de recepto mutuo, quam proinde adversarius potest habere acceptam; etsi simul sit adjecta exceptio de debito aliorum centum, quam ego probare tenebor, cum loquatur de facto separato. Abbas loc. cit. Hoc idem dicendum in casu, si respondeam: « Fateor, me tibi promisisse centum, sed ea tibi jam solvi. » Nam hæc, utpote loquens de diversis actibus seu capitulis, non est confessio qualificata, sed confessio, simul et exceptio; sicque potest per adversarium quoad priorem partem acceptari, quoad posteriorem vero negari, donec hæc a me probetur. Maranta part. VI *Speculi aurei*, tit. de *Confessione*, n. 27.

118. *Exempla confessionis qualificate refe-*

runtur. — His adde Bartolum in l. *Aurelius*. § *Idem quæsit*. ff. de *Liberation. legat.*, ubi generalem ponit regulam pro dignoscenda confessione qualificata, dum inquit: quod si confessio fiat circa unum capitulum, hoc est, unum factum cum qualitatibus suis, vel circa plura connexa, tunc dēseatur esse confessio qualificata. Exemplum prioris est: « Fateor, me promisisse tibi decem sub conditione: » hic enim est unicum capitulum cum sua qualitate, atque ideo est una confessio qualificata. Exemplum posterioris, seu plurium capitulorum inter se connexorum, est: « Fateor, me promisisse tibi centum, sed pacto in continenti apposito, quod vadas pro me Romam: » ista enim sunt plura capitula, inter se tamen connexa; et quia in continenti dicuntur videntur inesse, cit. l. *Lecla*. ff. *Si certum petatur*. Econtra vero diversa capitula censentur ea, quæ fiunt diversis temporibus; ut l. *Perfecta*. C. de *Donation. que sub modo*, etc. Idem dicendum, si in continenti fiunt plura capitula, quorum unum non venit ad alterius demonstrationem, sed quolibet per se stat: tunc enim sunt diversa capitula, quorum unum potest acceptari, alterum negari, ut l. *Etiam si pater*. § *Ex causa*. ff. de *Minorib.* et l. *Scire debemus*, ff. de *Verbor. obligat.* Ita notanter discurrit Bartolus.

119. *Confessio qualificata an ex parte possit acceptari, et ex parte negari? Confessio continens diversa capitula, potest ex parte acceptari et ex parte reprobari.* — Quæritur II. An confessio qualificata ex parte possit acceptari, et ex alia parte negari? Et dicitur, *Confessio qualificata*: nam extra controversiam est, quod si confessio contineat duo vel plura capitula separata, bene possit adversarius unum capitulum, sive unum factum, quod pro se facit, acceptare; et alterum, quod contra se est, reprobare; ut cit. l. *Etiam si pater*. § *Ex causa*. ff. de *Minorib.* cum similibus. Idem patet in positionibus: has enim omnes fatetur quidem pars ponens, non tamen eas omnes pars adversa recipit, sed aliquas sibi faventes potest acceptare, reliquas vero respuere: nam continent facta separata, ut c. *Præsentium*. § *Præterea*. juncta Glossa vers. *Sigillatim*. de *Testib.* in 6, cum similibus. Verum loquendo de confessione qualificata,

120. *In causis civilibus ubi præsumptio juris non stat contra qualitatem adjectam, confessio qualificata debet vel tota recipi, vel tota respui.* — Resp. I. In causis civilibus, et ubi præsumptio juris non stat contra qualitatem

adjectam, tunc confessio qualificata debet vel tota recipi, vel tota respui: nisi recipiens partem talis confessionis pro se facientem, velit ac possit aliam partem, sive adjectam qualitatem per rationes impugnare, et refutare. Ita Glossa magna communiter recepta in l. *Siquidem*. C. de *Exception.*; Bartolus ubi supra, et in cit. l. *Si quidem*. C. de *Exception.*; Abbas in c. *Bonæ memoriæ*. 3, n. 29, de *Postulat. prælat.*; Alexander consil. 87, n. 2, lib. I; Jason, l. *Si quidem ex causa*. n. 2, c. de *Transaction.*; Maranta cit. n. 27; Farinacius, lib. III, *Criminal.* quæst. 81, n. 149; Gailus lib. I. de *Pace publica*, cap. xvii, n. 2, cum aliis, quos citat. Ratio prioris partis est, quia actor rem pure et absolute petente, si reus emittat confessionem qualificatam, hæc magis est negativa, quam affirmativa responsio; et sic perinde est, ac si petitio actoris per omnia negaretur: ut puta, si actor petat decem vi factæ sibi promissionis, et reus qualificate confiteatur, illa decem se promisisse solum sub conditione. Atqui actore non probante reus absolvitur, c. *Cum Ecclesia*, § fin. de *Caus. posses.* et l. *Qui accusare*. C. de *Edendo*; ergo. Accedit, quod in iudicio, si quis ambigua oratione usus fuit, id quod utilius ei est, accipiendum sit, l. *Si quis intentione*. ff. de *Judiciis*: atqui faciens confessionem qualificatam, nonnihil ambigue loquitur; ergo.

121. *Unde veritatem apposita conditionis non tenetur probare ipsemet confitens.* — Atque ob has, et alias hujusmodi rationes, Glossa proxime citata ponit notabilem doctrinam, videlicet, quod confessionem qualificatam, seu veritatem adjectæ qualitatis, non teneatur probare ipsemet confitens; sed altera pars sive actor debeat probare puritatem, ostendendo videlicet, quod qualitas illa in ipsa actionis nativitate non fuerit apposita. Nam « ei incumbit probatio, qui dicit, » puta, decem sibi promissa fuisse absolute: « non qui negat; » prout negat dictam puritatem, confitens illa decem a se promissa esse sub conditione, l. II, ff. de *Probation.*

122. *Sed hanc debet refutare is, qui recipit unam partem confessionis qualificate.* — Et per hoc patet ad alteram partem datæ conclusionis, videlicet, quod recipiens unam partem qualificatæ confessionis, debeat alteram partem, seu adjectam qualitatem, per rationes refutare. Hujus etiam exemplum habetur in l. *Aurelius*. § *Idem quæsit*. ff. de *Liberation. legat.*, ubi potest quis uni scripturæ pro parte stare, pro parte non, probando tamen contra-

rium. Atque hæc procedunt, ubi præsumptio juris non stat contra qualitatem adjectam, propter rationes illico afferendas: unde

123. *Secus est, quando præsumptio aliqua stat contra confitentem, seu adjectam qualitatem.* — Resp. II. Nihilominus etiam in civilibus, quando præsumptio aliqua stat contra confitentem, seu contra adjectam per eum qualitatem, tunc ejusmodi confessio qualificata, potest scindi, ac ex parte acceptari, et ex parte reprobari: acceptari quidem, quatenus facit contra confitentem; reprobari vero, quatenus tacit pro ipso, donec is oppositum probet, atque præsumptionem juris elidat. Ita Abbas in c. *Cum venissent*. n. 7, de *Institut.*; Alexander consil. 2, n. 22, lib. II, post Bartolum in l. *Aurelius*. § *Idem quæsit*. ff. de *Liberation. legat.*; Menochius, de *Arbitrar. judic.* casu 93, n. 36; Farinacius cit. quæst. 81, n. 149, et alii. Idque desumitur ex l. *Cum de indebito*. ff. de *Probation.* et ex c. *Cum venissent*, juncta Glossa verb. *Probatum*. de *Institut.*, ubi archiepiscopo confesso, quod antecessores sui quibusdam archidiaconis institutionem, et custodiam ecclesiarum, personaliter commiserint; stante præsumptione pro archidiaconis, quod confessio illa fuerit realis, desumpta tum ex continua possessione, tum ex aliis rationibus ibidem enumeratis; Papa pro archidiacono tulit sententiam interlocutoriam, donec probatum legitime fuerit ex adverso, libertates ipsas archidiaconis ab archiepiscopis personaliter fuisse concessas: sicque Pontifex scidit confessionem qualificatam episcopi, partem unam acceptando, et partem alteram, seu adjectam qualitatem reprobando propter præsumptionem in contrarium, donec hæc per archiepiscopum qualificate confessum legitime fuisset probata.

124. *In criminalibus potest confessio qualificata dividi, eaque sine qualitate acceptari.* — Quæritur III. Quid censendum de confessione qualificata in criminalibus? Resp. I. In criminalibus potest confessio qualificata dividi, eaque sine qualitate accepta, donec hæc per allegantem legitime probetur. Ita Bartolus in cit. l. *Aurelius*. § *Item quæsit*. ff. de *Liberation. legat.*; Abbas in c. *Auditis*. n. 32, de *Præscription.*; Jason l. *Ut vim*. n. 13, ff. de *Justit. et jur.*; Gailus lib. I. de *Pace publica*, cap. xvii, n. 3; Julius Clarus lib. V *Criminal.* § fin. quæst. 53, n. 13; Farinacius cit. quæst. 81, n. 110, allegans plurimos alios, qui testantur de communi, paucis exceptis,

quos ibid. n. 112, citat. Solet hæc conclusio exemplificari in eo, qui fatetur, se occidisse hominem pro sua necessaria defensione: nam talis confessio acceptatur quoad partem, videlicet de facto homicidio; non vero quoad qualitatem necessariæ defensionis, sed hæc per allegantem est probanda l. I, c. *Ad leg. Cornel. de Sicariis*. Et idem dicendum, si quis confiteatur, se vulnerasse proximum aut aliud ei damnum intulisse, solummodo per lusum, cap. 1, de *Præsumpt.*; aut dixisse verba opprobriosa, non animo injuriandi, l. *Si non convitiis*. C. de *Judiciis*, et hujusmodi.

125. *In delictis stat præsumptio contra delinquentem.* — Accedit ratio, quia in delictis, seu in his, quæ sunt de genere prohibitorum, præsumitur dolus, et stat præsumptio contra delinquentem. Nam omne maleficium probe præsumitur factum; ut cit. cap. 1, juncta Glossa fin. de *Præsumpt.* et l. I. C. *Ad leg. Cornel. de Sicariis*, et l. *Si non convitiis*, C. de *Injuriis*, ubi proin summarium inquit: « Verba sui natura injuriosa, præsumuntur animo injuriandi prolata, nisi contrarium probetur: » et notat Alexander concil. 93, n. 6, lib. VI, et Farinacius lib. I *Consiliorum criminalium*, consil. 23, n. 14, allegans alios. Atqui, ubi præsumptio stat contra confitentem, potest confessio qualificata scindi, et qualitas adjecta rejici, donec per allegantem probetur: habet enim vim cujuspiam exceptionis. Id ipsam probant jura hactenus allegata; ergo.

126. *Confessus tamen confessione qualificata, non potest condemnari ad pœnam capitalem.* — Resp. II. Licet ex confessione qualificata, qua quis v. g. confitetur, se occidisse hominem ad suam necessariam defensionem, hæc qualitate non probata possit aliquis ut confessus condemnari: nihilominus talis non potest condemnari ad pœnam capitalem, sed solum ad pœnam extraordinariam, seu aliam mitiorem pro iudicis arbitrio infligendam. Ita Abbas in c. *Auditis*. n. 32, et Felinus ibid. n. 30, de *Præscription.*; Jason cit. n. 13; Menochius d. casu 93. n. 38; Maranta part. VI *Speculi aurei*. tit. de *Confessione*. n. 39; Julius Clarus d. § fin. quæst. 53, n. 16; Farinacius cit. quæst. 81, n. 157, allegans plurimos alios. Ratio est, quia ad inferendam mortem, seu pœnam capitalem homicidio debitam, requiruntur probationes luce meridiana clariores, l. *Sciant cunct.* C. de *Probation.*, et can. *Sciant*. 2, q. 8. Atqui talis probatio luce meridiana clarior, non est præfata confessio

qualificata; cum non fiat pure, sed solum cum addita qualitate suae necessariae defensionis; ergo.

127. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod tali qualitate non probata, consurgat quaedam praesumptio juris in contrarium. Si quidem ex praesumptione, etiam vehementi, non debet quis de gravi crimine, ac poena capitali damnari, c. *Litteras*. 12. de *Præsumptione*. et l. *Absentem*. ff. de *Pœnis*; atque cum pluribus aliis tradit Farinacius lib. III *Criminalium*. quæst. 86, n. 1 et 3, et 15 ac seqq.; haud obstante, quod exinde possit quis condemnari civiliter ad restitutionem rei, vel recompensationem damnorum illatorum, arg. c. *Afferte*. de *Præsumptione*., vel ad sustinendam aliam poenam mitiorem, puta pecuniariam multam, vel hujusmodi. Nam in «pœnali- bus causis benignius interpretandum est, » ut dicitur l. *Factum cuique*. ff. de *Reg. jur.* cum similibus. Simulque satius est, nocentem dimitti, quam innocentem damnari, cit. l. *Absentem*. ff. de *Pœnis*: idque fusius declarat Farinacius cit. quæst. 86, n. 18 et seqq. allegans plurimos alios.

128. *Confessio qualificata, quod scriptura privata grave delictum exprimens, sua manu fuerit conscripta jocosè solum, an præjudicet confidenti?* Refertur notabilis casus circa hoc. — Quæritur IV. Utrum confessio qualificata, quod scriptura privata, seu apocha grave delictum exprimens, manu sua fuerit conscripta, sed jocosè solum, seu calami experiendi gratia, præjudicet confidenti? Notabilem casum circa hanc quæstionem refert Prosper Farinacius lib. I. *Consiliorum criminalium*, consil. 25, n. 1 et seqq., et n. 54 et 55, de quodam clerico, qui apocham, ex qua constabat de crimine digno privatione beneficiorum, sua manu scriptam fuisse, judicialiter recognovit; sed addidit, se illam scripsisse causa experiendi calamum; atque in hac sua confessione persistens, torturam sustinuit: unde oriebatur quæstio, num clericus ille vi talis confessionis potuerit judicialiter privari beneficiis ecclesiasticis. Eundem casum refert etiam Nicolaus Genova de *Scriptura privata*, lib. I, quæst. 3, n. 108.

129. *Stante tali confessione, scriptura privata probat plene contra confidentem, dummodo non agatur de imponenda poena corporali.* — Resp. Stante ejusmodi confessione, seu recognitione suae manus judicialiter facta, scriptura privata probat plene contra confidentem; dummodo non agatur de imponenda poena

corporali, sed solum de poena civili, puta privationis beneficii, quæ reputatur civilis. Ita Farinacius cit. consil. 25, n. 1, et n. 44 et seqq.; Genova cit. n. 108, asserens, in casu memorato tandem re mature discussa ita fuisse judicatum; Abbas in c. *Scripta vero*. n. 4. de *Fide instrument.*; Covarruvias lib. II *Variar. resolut.* cap. II, n. 4; Emmanuel Rodericus tom. II. *Quæst. regular.* q. 13, art. 3, post Rebuffum in *Rat. de Chirograph.* et *Schedul. recog.* n. 44, et alios. Idque clare desumitur ex l. *Scripturas quæ*. c. *Qui potiores in pignore, etc.*, ubi Bartolus, et doctores et Paulus de Castro in l. *Cum antiquitas*. c. de *Testament.*

130. *Solvitur instantia de allegato joco.* — Nec obstat, quod confessus suam esse scripturam, addiderit, eam solum jocosè, seu animo experiendi calamum fuisse conscriptam. Nam ubi talis confessio emanavit qualificate, seu sub una constructione verborum, tunc quia sumus in criminalibus, potest ipsa dividi; ac proinde priore parte judicialiter acceptata restat, ut altera pars sive quod scriptura per jocum v. g. dumtaxat facta sit, probetur per allegantem. Neque enim iudex potest stare simplici assertioni ipsius rei: nam in delictis, seu loquendo de his, quæ sunt de genere prohibitorum, semper praesumitur dolus, et delictum, nisi contrarium probetur, ut dictum n. 125. Deinde excusatio illa, quod quis schedulam adeo turpem solummodo per jocum, seu animo experiendi calamum scripserit, inverisimilis est; atque ideo rejicienda talis responsio, arg. *Milites*. c. de *Question.*, et notat Farinacius cit. consil. 26, num. 55, post Baldum in l. I. c. de *Servis fugitiv.*, et Cephalus consil. 85, n. 39, vol. I. Nam, si voluit dumtaxat experiiri calamum, cur scripsit verba adeo nefanda, atque completum sensum constituentia, et non potius scripsit verba statum suum decentia vel saltem indifferentia?

131. *Privatio beneficii ecclesiastici, reputatur poena civilis.* — Additur notanter, «dummodo non agatur de imponenda poena corporali, » ob rationem n. 126 allatam. Quod autem privatio beneficii ecclesiastici reputetur esse poena civilis, notat Abbas in c. *Ille præpositorum*. n. 5. et c. *Cum P. Manconella*, n. 7. et c. *Super his*. n. 4. de *Accusation.*; Farinacius, cit. consil. 25, n. 9, allegans alios, et Maranta part. IV *Speculi aurei*. dist. 1. n. 32 et 33, ubi tamen istud limitat in casu quo statutum pro crimine non imponeret aliam poenam, nisi privationis.

## § VI.

DE CONFESIONE SACRAMENTALI INIQUE REVELATA, NEQ. NON DE CONFESIONE PER TORTURAM, VEL SUB SPE IMMUNITATIS EXTORTA.

132. *Confessio sacramentalis inique revelata, nihil probat contra poenitentem in foro externo.* — Quæritur I. Utrum confessio sacramentalis inique revelata, vel reperta schedula confessionis, præjudicet poenitenti in foro externo? Resp. I. Confessio in sacramento poenitentiae facta coram sacerdote, nihil omnino probat contra poenitentem in foro externo. Ita communis sum theologorum, tum canonistarum. Idque clare desumitur ex c. *Dilectus*. 13. de *Excessib. prælator.* et c. *Si sacerdos*. 2. de *Offic. ordinar.*; ubi hujus ratio redditur, quia videlicet confessio sacramentalis censetur facta sacerdoti, non ut homini, sed ut Deo, seu vicario Dei; ac proinde ad decidendas controversias humanas est prorsus impertinens. Accedit, quod, si quovis modo absque expressa licentia poenitentis posset revelari confessio sacramentalis, vel ipsa inique revelata adhiberi in foro externo pro probatione contra poenitentem, sacramentum poenitentiae redderetur valde odiosum, imo et periculosum fidelibus: hoc autem repugnat divinæ institutioni, ac debita reverentia tanti sacramenti, utpote a cujus frequentatione hac ratione fideles retraherentur, non sine magna ejusdem injuria.

133. *Sacerdos sigillo confessionis cum primis tenetur. Ipsi confessionem revelanti, nullo modo creditur.* — Inferitur proinde, quod si confessorius, qui sacro sigillo comprimis tenetur, can. *Sacerdos*. de *Pœnitent. et remiss.* dist. 6. et c. *Omnia utriusque sexus*, de *Pœnitent. et remiss.*, factam sibi confessionem sacramentalem absque expressa licentia poenitentis malitiose revelat, ob hanc ipsius revelationem magistratus contra poenitentem inquirere non possit, etiamsi ob non institutam inquisitionem salus reipublicæ periclitaretur. Castro Palao de *Sacramento poenitentiae*, tract. 23, punct. 19, n. 12, post Sotum in 4. dist. 48, q. 4, art. 6; et alios. Quinimo sacerdoti revelanti confessionem non creditur: adeo, ut ejus revelatio nec faciat indicium ad torturam, nec ullam fidem habeat, imo nullum omnino effectum operetur in judicio, vel extra. Farinacius, lib. I *Criminalium*, quæst. 47, n. 96; Menochius lib. I de *Præsumptionib.*, quæst. 89, n. 26, post Baldum in l. *Ar-*

*chigerontes*. C. de *Episc. audient.*; Covarruvias de *Matrimonio*, part. II, cap. VIII, § 42, n. 23, allegans alios.

134. *Deposito testimonio de confessione sacramentali forsitan audita, contra poenitentem nihil probat.* — Inferitur ulterius, quod si testes, qui audierunt confessionem poenitentis, clarius forsitan coram sacerdote factam, deponerent de ea in judicio, testimonium eorum nequiquam probaret, neque ejusmodi confessio sacramentalis quidpiam præjudicaret confidenti. Mascardus de *Probationib.* concl. 377, n. 2; Farinacius cit. quæst. 47, n. 97, et alii. Ratio est, quæ supra; nam et horum testimonium, si quid probaret, tenderet in injuriam sacramenti poenitentiae, et contra Christi institutionem, retrahendo nimirum fideles a frequentatione illius. Et hinc ulterius.

135. *Inventor schedulae confessionis peccat scienter ipsam legendo; nec potest iudex de peccatis in ea descriptis inquirere.* — Resp. II. Inventor schedulae, in qua alicujus peccata pro facienda confessione sacramentali annotata fuerunt, non solum peccat scienter ipsam legendo; sed insuper, si eam inique legens denuntiet magistratui, non potest contra taliter denuntiatum magistratus inquirere, vel eum punire, neque comprehendere. Ita Castro Palao cit. tract. 23. de *Sacramento poenitentiae*, disp. un. punct. 19, § 4, n. 11; Bonacina de *Sacramento poenitentiae*, disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 3, n. 7. et 8, ubi hoc ipsum extendit ad iudicem, qui repertam schedulam confessionis legit: quia (inquit) non potest de peccatis in ea descriptis inquirere, sed tenetur ista perpetuo silentio tegere: idemque docent alii. Ratio partis est: quia inventor schedulae confessionis gravem infert injuriam poenitenti invito, dum scienter legit peccata secretissima ipsius, nec nisi in ordine ad faciendam confessionem sacramentalem annotata: unde non miram, quod graviter peccet, et saltem ad secretum naturale (si non etiam ad sigillum confessionis, ut nonnulli volunt, minus tamen probabiliter) teneatur de iis perpetuo reticendis.

136. *Pœnitentiae sacramentum est secunda post naufragium tabula.* — Altera pars ex eo suadet, quia reverentia sacramento poenitentiae debita videtur exigere, quod instrumenta confessionis non deducantur ad forum externum: alioquin suboriretur periculum aversionis, et retractionis fidelium ab eodem tam salutari sacramento, contra Christi institutionem; qui istud instituit tanquam secun-